ORDINANDORUM

ENCHIRIDION

JUSSU ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

D. D.

CAROLI FONTANINI

EPISCOPI CONCORDIENSIS

TYPIS EDITUM

PRO CLERICORUM SUAE DIOECESIS EXAMINE

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXLV.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. D.

CAROLO FONTANINI

EPISCOPO CONCORDIENSI

Amplissime Praesul!

In lucem prodit liber cui titulus: Enchiridion Ordinandorum; *pro Clericis promovendis ad Ordines, in quo inclusa colliguntur quae potissimum facere, quae scire eos oporteat qui in Clerum cooptari, ac Sacerdotio augeri et honestari, divina opitulante gratia, cupiunt. Tuum est Opus quod imperasti. Non enim te latebat quod a sancta Tridentina Synodo sancitum est, nimirum ut litteris, et iis quae pertinent ad Ordinem exercendum, apprime sint instructi qui clericalia munia obire intendunt. In litteris et disciplinis ecclesiasticis Clerici erudiuntur in scholis. Cum vero liber eorum institutioni pro Ordinibus suscipiendis in hac Dioecesi desideraretur, et*

lucubrationes quaedam privato calamo descriptae, nec satis accuratae, per manus eorum perferrentur, non absonum a re judicasti onus mihi imponere doctrinam tradere hac de re in compendium redactam, quae in usum omnium accommodata typis evulgaretur. Optatissimum mihi et praecipuum obsequii munus voluntatis tanti Antistitis morem gerere; et si votis res successerit, sapientum judicio relinquitur. Hoc propositum in animo fuit, ut tutius pergerem in Opere adornando, ex probatissimis Scriptoribus optima seligere, eaque per capita distributa, ac in quaesita et responsiones digesta ita exponere, ut Candidatis facilius esset ea intellectu percipere et memoriae commendare. Faxit Deus, ut inter tot ac tanta quae in bonum Clericorum suscepisti, tuumque Regimen Episcopale illustrant, et hoc exiguum Opus aliquid emolumenti adferat, ac in eorum solatium, et totius Dioecesis decus diutissime vivas.

In signum obsequii
JOANNES D. RODER
Prof. Theologiae Dogmaticae in Sem. Conc.

CAPUT I.

DE DIVINA VOCATIONE AD STATUM CLERICALEM

Quid est status clericalis?

Est status eorum qui vocati sunt in sortem haereditatis Domini, vel quorum ipse Dominus sors est.

Debent ne reapse vocari qui cooptantur in Clerum?

Iis omnino necessaria est superna vocatio, ut sacrae Litterae et Patrum traditio confirmant. Sine ipsa etenim auxilia ad ecclesiastica officia obeunda nemo sperare potest. Idcirco ait Apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Qua ratione possumus dignoscere an quis sit a Deo vocatus?

Ad hoc indicia vocationis ponderanda sunt. Optima indicia sunt 1. Pura intentio, qua quis unice quaerit majorem sui ipsius sanctificationem et gloriam Dei. 2. Innocentia vitae, aut saltem sincera et constans poenitentia. Sine macula enim esse decet eos qui immaculatum Agnum quotidie manibus contrectant. 3. Necessaria scientia, et sufficiens ingenii dexteritas ad illam comparandam. 4. Viva quaedam et constans propensio ad hunc statum et ad res sacras pertractandas, quae nedum in adolescentiae diluculo, sed etiam postea viguerit. 5. Libera Episcopi assumptio. Nullus, ait Conc. Trid., debet ordinari qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis.

Quinam a Deo vocati non censentur?

Qui Clericatum suscipiunt ex ambitionis studio, vel victus parandi causa, vel ad pecuniam congerendam, vel ut parentum desiderio satisfaciant, vel ut commodam et otiosam vitam agant; qui in graviora crimina lapsi sunt, aut vitiosos habitus contraxerunt, et ad vitae emendationem sedulo non incumbunt; qui necessariis ingenii animique dotibus destituti sunt; qui suffragia emendicare non erubescunt ut in sanctuarium Dei admittantur: isti a Deo vocati non sunt censendi.

Quid agendum ei qui vult agnoscere vocationem suam?

Dei auxilium enixis precibus postulet, dicat cum Psalmista: *Notam fac mihi Domine viam tuam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam;* non adquiescat consanguineorum desideriis, sed petat consilium a viris probis et peritis. Superiores et moderatorem conscientiae interroget, atque adquiescendo eorum consiliis credere fas est divinam vocationem sequi et Deo parere.

Quid dicendum de illis qui statum clericalem absque divina vocatione amplectuntur?

De illorum aeterna salute summopere timendum est. Hinc secedere quamprimum et divertere a proposito debent, si possint. Voto, vel lege obstricti in id potissimum adlaborent, ut jejuniis, precibus gemitibusque Dei clementiam exorent, virtutes adipiscantur sacris muneribus respondentes, ac per bona opera certam suam vocationem et electionem facere nitantur.

CAPUT II.

DE TONSURA CLERICALI

Quid est Tonsura clericalis?

Caeremonia sacra ab Ecclesia instituta, qua laicus in Clerum recipitur, ut, ad divinum cultum deputatus, idoneus fiat ad Ordines suscipiendos.

Qua aetate ornari quis potest prima Tonsura?

Conc. Trid. sanxit, ne prima Tonsura initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant. Ad quae communis usus completum septennium requirit.

Quandonam conferri potest?

Praeter statutos dies canonicos, rationabili de causa etiam extra Missarum solemnia, quocumque die, hora et loco, clericali Tonsura quis insigniri poterit.

Quomodo confertur Tonsura?

Per tonsionem capillorum in vertice capitis in modum Crucis factam ab Episcopo una cum tonsurando dicente: *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei: tu es qui restitues haereditatem meam mihi*; et per habitus mutationem.

Quid tonsio haec capillorum significat?

Rerum temporalium contemptum.

Quare fit in vertice capitis?

Ad ostendendam clericalis gradus eminentiam, nec non ad coelestium rerum contemplationem Clerico insinuandam.

Cur in formam Crucis?

Ut sciat Clericus non ad quietem, sed ad labores atque ad Christum Crucem bajulantem sequendum se esse vocatum.

Quomodo Tonsura a Clerico gestanda fieri debet?

Sphaerica, et in modum coronae.

Quare sphaerica?

Cum figura haec sit omnium perfectissima, vitae ducendae perfectionem ostendit.

Quare in coronae formam?

Ut spineam Jesu Christi Coronam prae oculis habeat, nec non ad regiam dignitatem indicandam, juxta illud Petri: *Vos regale Sacerdotium.*

Si Clericus Tonsuram patentem non gestaret, peccaret?

Maxime, juxta graviorum Theologorum sententiam, et quidem graviter, si per notabile tempus hoc faceret.

Quinam esse debet Clerici habitus?

Duplex distinguitur, *communis* nempe, et *solemnis*. Communis est vestis talaris nigri coloris. Solemnis est vestis alba, quae Superpelliceum vocatur.

Licet ne Clerico veste breviori, et alterius coloris uti?

Nequaquam: attamen extra Ecclesiam, praecipue ruri degentibus, vestis brevis nigri coloris indulgetur.

Qui sunt Tonsurae effectus?

Quatuor: 1. Tonsuratus adjungitur Clero, 2. disponitur ad Ordines, 3. fit capax ecclesiastici beneficii, 4. privilegiis Cleri gaudet.

Expungis ne ab Ordinum numero primam Tonsuram?

Catechismus Romanus eam adpellat quamdam ad Ordines suscipiendos dispositionem, eamque ab Ordinibus Tridentina Synodus satis diserte distinguere videtur.

Quae sunt privilegia Clericorum?

Duo maxime: *Fori*, et *Canonis*. Privilegium Fori jure communi in eo positum erat, ut Clerici immunes fierent a potestate et a jurisdictione laicorum. Privilegio Canonis sub poena excommunicationis interdicitur, ne quis in illos violentas manus injiciat.

Quando Canonis privilegium amittitur?

Amittitur si a clericali statu quis vere desciscat, aut si Clericus nec *Tonsuram*, nec *habitum* deferens, post

trinam Episcopi monitionem privilegiis clericalibus excidisse declaretur.

Licet ne a clericali ad laicum statum regredi, ut lubet, Tonsura obtenta?

Certum est Ecclesiam omnium Clericorum stabilitatem desiderare. Prudens tamen regressus vetitus non est, immo necessarius non vocatis a Deo.

Quae Tonsurati officia?

Debent habitum clericalem Tonsuramque deferre; Ecclesiae, cui mandante Episcopo addicti sunt, ministeriis deservire; Psalmorum cantus in templis fundere; et Ordinum etiam minorum officia exercere, si deficiant qui Ordines illos receperunt.

CAPUT III.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS

In quo gradu ponuntur Clerici post Tonsuram?

Clerici a prima Tonsura ad Ordines promoventur.

Quid est Ordo?

Ordo est unum ex septem Ecclesiae Sacramentis, quo traditur spiritualis potestas ministeria ecclesiastica exercendi, quae ad Dei cultum et ad animarum salutem pertinent.

Quomodo vocatur sacer ille ritus, quo inaugurantur Ecclesiae Ministri?

Ordinatio; tametsi *Ordinatio* et *Ordo* promiscue soleant usurpari.

Quot sunt Ordines?

Ordines septem communiter recensentur. Quatuor nempe qui *minores* dicuntur, eo quia ministeria minora habent, et sunt Ordines Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum et Acolythorum. Tres autem qui vocantur *majores* et etiam *sacri* propter majora ministeria sacra, et sunt Subdiaconatus, Diaconatus et Sacerdotium.

Cum septem sint Ordines, numquid septem ii Sacramenta sunt?

Nequaquam septem sunt Sacramenta; omnes enim Ordines ad Sacerdotium referuntur, in eoque eminenti quodam modo continentur.

Quis diversos Ordinum istorum gradus constituit?

Presbyteratus explicita divina institutio est: qua tamen Diaconatus etiam gloriatur, licet Diaconatum, juxta communiorem sententiam, edocti jussique a Christo Apostoli instituerint, et ad Ecclesiae sacraeque Coenae ministerium adhibuerint.

De aliis Ordinibus quid dicendum?

Eorum mentionem antiquissima Ecclesiae Occidentalis monumenta equidem faciunt, sed an sint divinae institutionis, disputatur.

Forte ne Graeca seu Orientalis Ecclesia minores Ordines non admittit?

Ex quatuor unum ea Lectoratum dumtaxat agnoscit, et Subdiaconatum inter minores Ordines recenset.

Si ita est, Ordines Diaconatu inferiores Sacramenti ratione destituuntur?

Quoad hoc, alii inter Theologos affirmant, alii negant. Controversiam autem hanc Ecclesia numquam definivit, neque Benedictus XIV sententiam suam ferre voluit.

Quis est sacrarum Ordinationum minister?

Sacri Canones Episcopum sacrae Ordinationis ministrum esse docuerunt; praesertim si de Episcopis, Presbyteris et Diaconis inaugurandis agatur.

De aliis Ordinibus quid praescribitur?

Minorum Ordinum collatio potest a Romano Pontifice simplici Presbytero delegari.

Omnes ne Episcopi sunt sacrarum Ordinationum ministri?

Valida est facta a quocumque Episcopo Ordinatio. At recte non suscipiuntur Ordines nisi ab eo qui in com-

munione Ecclesiae vivens, proprius Episcopus sit ejus qui ad Ordines promovetur.

Quem censes proprium Episcopum Ordinationis?

Olim qui primum Clericos ordinaverat, proprius habebatur. Nunc proprium Ordinandi Episcopum facit 1. *Nativitas*, modo fortuita non sit, occasione scilicet itineris vel legationis; 2. *Domicilium* ex animo permanendi; 3. *Beneficium* ex quo Clericus congruam habeat sustentationem.

Qui sunt Sacramenti Ordinis effectus?

Omnes qui Sacramento Ordinis initiantur, si ex fide et debitis dispositionibus accedant, gratiae sanctificantis augmento ac perfectione donantur.

Quae est ista gratia sanctificans?

Est eá, qua grati Deo sanctique efficimur.

Cum hac gratiá ulla ne superna auxilia connectuntur?

Ea auxilia connectuntur, quibus rite et laudabiliter obiri Ordinis munia possint. Quae auxilia gratias sacramentales Theologi vocaverunt.

Cur gratiae augmentum, non gratiam ipsam ab Ordine conferri dixisti?

Quia in Ordine rite suscepto non justificationis gratiam proprie adsequimur, sed jam acceptae justificationis gratia augetur.

Aliud ne efficit Ordinis Sacramentum?

Praeter Spiritus Sancti gratiam, Ordinatio spirituali ac indelebili charactere animum obsignat, quo qui donati sunt, ab iis qui idem Sacramentum non susceperunt, distinguuntur.

Quae est hujus characteris natura?

Hoc unum ab Ecclesia docemur, characterem esse spirituale signum et indelebile quod in anima imprimitur.

Si quis aliquo mortali peccato illaqueatus ad Ordines promoveretur, peccaret ne?

Utique et quidem graviter. Sancta enim sancte tractanda sunt. Immo, juxta non paucos ex gravioribus Theologis, peccatum sacrilegii committeret, quia dubitari semper potest de Ordine unoquoque, an sit Sacramentum, nec ne; et sacrilegium est rei sacrae indebitus usus.

Tali in casu gratiam sacramentalem reciperet?

Dici potest vel minime recipere istam gratiam sacramentalem, vel recipere suspensam, ita ut effectum suum consequatur postquam per Poenitentiae Sacramentum gratia sanctificans Ordinato tribuatur.

Quomodo Ordines conferuntur?

Per manuum impositionem, vel instrumentorum traditionem una cum verbis ab Episcopo prolatis.

Si omitteretur aliquod verbum ex praescriptis in Pontificali, esset ne valida Ordinatio?

Prorsus invalida esset, si verba quae ad essentiam pertinent, omitterentur. Valida e contra si verbum aliquod ad integritatem tantum omitteretur, sed omnino illicita.

Si verbum aliquod, vel aliquid aliud essentiale omissum fuisset in Ordinatione, quid agendum?

Nihil est innovandum, sed caute supplendum quod per errorem exstitit praetermissum. Si vero praetermissum foret quod moraliter coalescere cum antea peractis non possit, Ordinatio tota sub conditione iteranda.

Unus ne post alium, vel plures eodem die conferri possunt Ordines?

Non possunt absque speciali dispensatione. Nam Tridentina Lege interpolate conferri debent Ordines, a quorum postremo ad Subdiaconatum, sicuti a Subdiaconatu ad Diaconatum, nec non a Diaconatu ad Presbyteratum integri ecclesiastici anni cursus perfici debet. Quae interpolatio *Interstitium* vocatur.

Quid est interstitium?

Tempus illud ab Ecclesia statutum, quod ab uno ad alterum Ordinem consequendum intercedere debet.

Ad quid statuta fuere interstitia?

Ut fides, et morum probitas, et constantia, et moderatio possit dignosci.

Episcopus potest ne ab interstitiis dispensare?

Utique ex Conc. Trid., quod interstitia statuit hac apposita declaratione: *Nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiae judicio Episcopi aliud exposcat.*

Tenentur ne promoti ad Ordines sua officia exercere?

Utique tenentur promoti quoque ad Ordines minores, nam ad hoc etiam statuta fuere interstitia; et Synodus Tridentina decernit, ut in posterum hujusmodi ministeria per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur.

Quo tempore inaugurari quis ad Ordines potest?

Minores Ordines singulis diebus Dominicis ac festis conferuntur; pro prima Tonsura non statuta dies, neque hora praescripta.

Majores Ordines qua fixa die sumuntur?

Sabbatis quatuor solemnium anni temporum, Sabbato item ante Dominicam Passionis, et Sabbato Sancto. Extra hos dies fieri generales Ordinationes non possunt nisi ab illis Episcopis qui privilegio gaudent.

CAPUT IV.

DE SACRARUM ORDINATIONUM IMPEDIMENTIS

Omnes ne indiscriminatim Clerici ad sacras Ordinationes promovendi?

Eos repellere oportet qui vocati non sunt a Deo, et qui *irregulares,* seu irregularitate affecti dicuntur.

Quid venit nomine irregularitatis?

Veniunt canonica impedimenta, quae vetant quominus

quis ad Ordines promoveatur, vel in susceptis ministret.

Nomine Ordinis intelligi hic potest prima etiam Tonsura?

Ecclesiae usus intelligit.

Cur canonica impedimenta adpellantur?

Quia isthaec canonicum seu ecclesiasticum jus invexit, iisque nemo, nisi in casibus a jure expressis, illaqueatur.

Quotuplici modo his impedimentis detineri quis potest?

Vel *totaliter*, si omnium Ordinum susceptionem et usum impediant; vel *partialiter*, si alicui tantum Ordinis actui officiant, et sunt duplicis generis: alia ex *defectu*, alia ex *crimine*; scilicet irregularitatem vel defectus, vel crimen parit.

Ex quibus defectibus irregularitas oritur?

Ii vel *spirituales* sunt vel *corporei*. Defectus rationis, famae, lenitatis, libertatis, significationis ad primam classem pertinent. Ad alteram vero defectus natalium, aetatis, et carentia vel vitium membrorum.

Quinam putantur laborare defectu rationis?

Energumeni, amentes, epileptici, illitterati, qui destituuntur scientia necessaria ad officia proprii Ordinis facienda, et neophyti qui recenter ex infidelitate ad veram Christi Ecclesiam conversi sunt.

Explana famae defectum?

Famae defectus ab infamia efficitur, sive *juris* haec sit, sivè *facti*. Sunt a jure infames comoedi, feneratores, laesae majestatis rei, et simoniaci, id est indigno mercimonio res spirituales, vel spiritualibus adnexas exponentes. Infamia facti gignitur ex delicto, vi cujus quis generatim apud probos gravesque viros male audit. Cum his adnumerantur publici poenitentes, aut qui per judicis sententiam ut tales notati sunt.

Qui habentur irregulares ex defectu lenitatis?

Lenitatis defectu irregulares habentur quotquot in cruen-

tas exsecutiones influunt atque concurrunt. Excipiuntur qui expresse ad sanguinis poenam se non intendere protestantur.

Ex quo fonte defectus libertatis manat?

Ex servitute. Ita enim dominis suis servi junguntur, ut splendidam Clericatus servitutem profiteri nequeant, ut decet.

Quid sibi vult defectus significationis?

Idem sonat ac *bigamia*, quae alia *vera*, alia *interpretativa* vel *similitudinaria*. *Vera* quae ex secundis nuptiis contrahitur, et notam specialem incontinentiae praesefert. *Interpretativa* quae ex attentatis secundis nuptiis, vel ex ductu mulieris viduatae, aut virginis post initas nuptias corruptae oritur. *Similitudinaria* quae consequitur ex conjugio viri aut mulieris prius voto castitatis obstricti.

Quid de natalium defectu sentis?

Illegitimi a saeculo saltem IX irregulares sunt, nisi defectus dispensatione, aut subsequenti parentum matrimonio, aut ingressu et professione religiosa tollatur.

Qui sunt irregulares ex defectu aetatis?

Ii quibus deest aetas a sacris Canonibus praescripta. Observandum quoad minores Ordines nullam aetatem esse constitutam, sed rem prudenti Episcoporum judicio relictam.

Qualis membrorum carentia, aut vitium inducit irregularitatem?

Carentia sinistri oculi, alterutrius manus, aut etiam unius ex duobus primis digitis, ac multo magis carentia loquelae. Pariter vitium quodvis ita corpus deformans, ut adspicientibus horrorem aut offensionem gignat.

Quaenam crimina irregularem faciunt?

Publica crimina, non occulta quae clam poenitentia purgaverit, et sunt homicidium, Sacramenti iteratio, haeresis, non recta susceptio, vel non rectus usus Ordinis.

Quales homicidae esse debent, ut ex eorum crimine irregularitas fundetur?

Homicidae voluntarii, etiamsi occulti sint, vel in probabili tantum dubietate de patrato homicidio versentur. Similiter qui humanum quodpiam membrum vel sibi vel aliis injuria mutilaverint, etsi non directe, sed opera aliena usi fuerint.

Quinam adhuc putantur ut voluntarii?

Qui operam non licitae rei, aut periculi plenae praestent, qui aut ignari sint artis quam profitentur, aut diligentiam omittant quae ad opus faciendum, aut ad artem ipsam exercendam postulatur, pro voluntariis habentur.

De homicidio ad tuendam vitam necessario quid dicendum?

Hoc impedimentum Summus Pontifex Clemens V sustulit.

Quid est Sacramenti iteratio?

Sacramentum iteratur, quando quis Baptismate ablutus denuo sacra unda tingitur. Ex hac iteratione rebaptizatus et rebaptizans irregulares sunt. Idem pariter obtineret de Confirmatione et de ipso sacro Ordine.

De haeresis crimine quid sacri Canones decrevere?

Apostatae, haeretici, et ab haereticis baptizati a Clero excluduntur. Quin immo irregulares quoque manent, si eorum pater avusque haeretici sint, nisi revertantur et isti ad verum cultum.

Qui sunt irregulares ob susceptionem non licitam Ordinis, aut non rectum ejus usum?

Qui per saltum promoventur, et in suscepto sacro Ordine ministrant; qui solemniter actum exercent sacri Ordinis quem non habent, aut si habent, excommunicationis majoris, aut suspensionis, aut interdicti vinculo detinentur.

Qua ratione irregularitates tolluntur?

Quae ex temporario defectu sunt, eo sublato, evane-

scunt; et, si defectus perseveret, sola dispensatione irregularitas deletur, quae conceditur nunc a Summis Pontificibus.

Ulla ne dispensatio Episcopis relicta?

Novo jure cum illegitimis dispensant Episcopi ad minores Ordines, simpliciaque beneficia, item in irregularitatibus ex occulto delicto natis, excepto voluntario homicidio, exceptisque aliis apud judicem deductis.

Excommunicationem, suspensionem, interdictum nominasti. Quae est harum vocum significatio?

Hisce vocibus triplex censurarum ecclesiasticarum species indigitatur.

In quo censurae ab irregularitate distinguuntur?

Irregularitate irretiri sine culpa quis potest; censura autem est spiritualis ac medicinalis poena, qua homini baptizato, delinquenti ac contumaci, quorumdam spiritualium bonorum usus ab Ecclesia aufertur, donec a contumacia recedat; et irrogatur ab eo qui vel proprio jure, vel alterius delegatione ecclesiasticam jurisdictionem in foro externo exercet.

Quotuplex censura?

Duplex. Quae enim in sacris Canonibus et Episcoporum praescriptis exprimitur, *a jure* dicitur: quae ecclesiastici judicis arbitratu inflicta est, *ab homine*.

Quotuplici modo fertur censura?

Vel accedente judicis sententia irrogatur, vel ex legum statutis post admissum delictum statim incurritur. Primam *ferendae*, alteram *latae sententiae* Canonistae dixerunt.

Quid est excommunicatio?

Est censura, qua a fidelium communione vel ex toto, vel ex parte quispiam segregatur. Si primum, *major* excommunicatio est; si secundum, *minor*. Per majorem excommunicationem Christianus tamquam putridum membrum ab Ecclesia abscinditur, et a fidelium commu-

nione et consortio separatur; innodatus autem *minori*, Sacramenta suscipere prohibetur, neque potest ad beneficia promoveri.

Quotuplicis generis sunt excommunicati?

Duplicis, *vitandi*, et *tolerati*. *Vitandi*, qui tales nominatim a superiore ecclesiastico declarantur, et publici Clericorum percussores. Caeteri omnes *tolerati* habentur.

Quomodo excommunicatio minor incurritur?

Per culpabilem communicationem cum excommunicato vitando.

Quibus in casibus cum excommunicato vitando communicare licet?

Quando hoc sive necessitas majorque utilitas, sive vinculum matrimonii, sive nexus subjectionis postulat; aut quem ignorantia excusat; quod versu illo habetur:

Utile — Lex — Humile — Res ignorata — Necesse.

Quibus in casibus communicare non licet cum excommunicatis vitandis?

In iis quae verba haec indigitant:

Os — Orare — Vale — Communio — Mensa negatur.

Excommunicatus toleratus potest ne communicare cum fidelibus?

Minime; bene tamen fideles cum illo communicare libere possunt.

Quid est suspensio?

Est censura ecclesiastica, qua Clericus prohibetur exercere aliquos actus ecclesiasticos, alias sibi competentes.

Quomodo dividitur?

Suspensio dividitur in suspensionem ab officio, qua Clerico prohibetur exercitium suorum Ordinum, vel aliarum functionum ipsi ratione Ordinis competentium; in suspensionem a beneficio, qua prohibetur Clericus percipere fructus sui beneficii ecclesiastici; et in suspensionem ab officio et beneficio simul, qua Cle-

rico prohibentur jura utriusque, officii scilicet et beneficii. Alia vero dicitur *totalis*, alia *partialis*.

Quae est totalis, et quae partialis?

Totalis est, qua ab omni prorsus officio ecclesiastico, vel a perceptione omnium omnino fructuum beneficialium suspenditur. *Partialis* est, qua Clerico prohibetur aliquis tantum sui officii actus, ut cum Sacerdos suspenditur ab exceptione Confessionum, vel ab aliqua tantum parte fructuum beneficialium.

Quomodo tollitur suspensio?

Suspensio imposita ad determinatum tempus, vel sub conditione, elapso tempore, vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia superioris declaratione; generatim vero lata tollitur per dispensationem.

Quid denique interdictum est?

Est ecclesiastica censura privans usu rerum sacrarum, publica scilicet divinorum officiorum celebratione, dispensatione Sacramentorum quae ad nascentium vel morientium salutem non sunt necessaria, et ecclesiastica sepultura.

Quot nomina accipit interdictum?

Si in civitatem, templum vel regnum fertur, *locale*; si in personas dumtaxat, *personale*; si utrasque simul devincit, *mixtum* appellatur.

Quis absolvere a censuris potest?

Summus Pontifex pro suprema sua potestate in universa Ecclesia. Deinde Episcopus qui eas inflixit, vel ejus in munere successor, aut ejus delegatus, aut denique superior si apud hunc de injusta censura quis conqueratur, injustamque ipse comperiat. Quae de censuris ab homine latis intelliguntur.

A censuris quae latae sunt a jure, *quis absolvit?*

Quilibet Confessarius, modo reservatae non sint. Quod si cadant sub reservatione, generatim absolvunt Episcopi, in occultis tamen, nisi Ecclesiae obstet prohibitio.

DE

ORDINIBUS MINORIBUS

CAPUT V.

DE ORDINE OSTIARIATUS

Quis primus inter minores Ordines?

Est Ordo Ostiariatus, quo spiritualis potestas Clerico traditur ad Templi sacraeque ejus supellectilis custodiam, et ad evigilandum, ut debita ipsi sacro Templo servetur reverentia.

Quo ritu Ostiarii initiantur?

Admonitis primum ab Episcopo Clericis eorum quae agere potissimum debent in Ecclesia Dei, excitatisque ut exemplo sint fidelibus; Episcopus ipse tangendas claves praebet dicens: *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.* Fores deinde ii claudunt aperiuntque, tintinnabulum pulsant, et in Ostiariorum denique officio benedicuntur.

Si traderentur claves quaecumque, non vero Ecclesiae, esset valida Ordinatio?

Valida foret, quia interpretari potest clavem simpliciter sumi tamquàm signum ad aperiendam et claudendam Ecclesiam, sed illicita, quia contra praescriptum ab Ecclesia ritum, nisi esset clavis illius loci ubi Episcopus Ordinationem habet, quia ille locus tamquam Ecclesia tunc habendus.

Quodnam Ostiarii officium?

Officium Ostiarii est 1. aperire et claudere januas Templi, nec non claves custodire; 2. arcere ab Ecclesia il-

los omnes quibus ingredi interdictum est; 3. curare ne laici, praecipue vero mulieres, ad altare vel ad chorum accedant; 4. custodire Sacrarium et supellectiles omnes Ecclesiae; 5. pulsare campanas ad convocandos ad Ecclesiam fideles; 6. diligenter curare ut omnia in Ecclesia bene se habeant; 7. librum aperire ei qui praedicat.

Quinam sunt quibus Ecclesiam ingredi interdictum est?

Infideles, apostatae, haeretici, excommunicati vitandi, et interdicti, nec non catechumeni, qui in Ecclesia tamen ad Evangelii usque explicationem permanere possunt.

Quid Ostiarius agere debet, si aliquis ex praedictis ab Ecclesia exire nolit?

Debet monere Ecclesiae Rectorem, vel alium ad quem spectat, ut vi expellatur, et interim divina officia suspensa remaneant. Si Missa celebretur, admoneat Ostiarius Sacerdotem, ut a celebratione desistat cum nondum ad Canonem pervenerit. Si vero Canon inceptus sit, Sacerdos Missam prosequatur usque ad consummationem, tum in Sacrario ipsam perficiat.

Dum tempestates oboriuntur, tenentur ne Ostiarii campanas pulsare?

Bene agunt si eas pulsant, ut populus monitus ad Ecclesiam confugiat, ibique preces effundat.

Cum haec Ostiarii officia a laicis exerceantur, est ne supervacaneus Ordo iste?

Minime; nam laici mercenarii haec ministeria tantummodo in Ostiariorum adjutorium et supplementum ex necessitate, non vero ex officio, peragunt.

Tenentur ne Ostiarii officia sua exercere?

Utique tenentur, juxta praescriptum Tridentini Concilii.

Quo honore habendi Ostiarii?

Plurimi faciendi sunt; namque eorum ministeria ex ipsis veteris Testamenti libris illustrantur.

Quid sacri ii libri narrant ex quo Ostiariorum dignitas colligatur?

Ad majorem venerationem Templo conciliandam, augendamque majestatem Levitae plurimi, qui inter populum longe praestabant; janitorum munus exsequebantur, et ad quatuor Templi portas excubabant. In iis porro Novi Testamenti Ostiarii praesignificati.

Idem ne semper honor Ostiariis ab Ecclesia tributus?

Idem semper, si Ordinis habeas rationem: splendidiora tamen munera ii antiquitus obierunt; nam Thesaurarii officium, quod praestantissimum habebatur, olim ad Ostiarios pertinebat, Thesaurario ipsi, tamquam Ostiariorum principi, subjectos.

CAPUT VI.

DE ORDINE LECTORATUS

Quid est Ordo Lectoratus?

Est secundus Ordo inter minores, quo traditur potestas legendi in Ecclesia Scripturam sacram veteris et novi Testamenti, et sanctorum Patrum scripta.

Quomodo confertur?

Electos ad Lectoris officium Episcopus admonet, ut quae sunt proprii muneris, faciant. Tunc eis tradens sacrum Codicem, de quo lecturi sunt, sic loquitur: *Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio*. Deinde eos in officium Lectoris benedicit.

Quodnam Lectoris officium?

Officium Lectoris est 1. legere in Ecclesia clare ac distincte veteris et novi Testamenti libros, praecipue vero Lectiones primi Nocturni in Horis matutinis, et primas Epistolas in Missis quatuor Temporum, nec non

Prophetias in Sabbato Sancto; 2. catechumenos et fideles prima fidei rudimenta docere.

Adscendunt ne suggestum Lectores vi traditae potestatis?

Maxime: quandoque *super pulpitum imponi*, *et ad pulpitum venire*, formulae sunt, quibus non raro Lectorum officium describebatur.

Quibus muneribus in antiqua disciplina Lectores fulgebant?

Episcopo concionanti eam Scripturae sacrae partem legebant, quam ipse populo explanaturus erat; panes similiter novosque fructus benedicebant.

Servabant ne olim Lectores sacros Libros?

Absque dubio a Lectoribus servabantur: nam Episcopi, urgentibus impiis persecutoribus, ut sibi ii Libri traderentur, respondebant: *Scripturas Lectores habent.*

Aliud ne priscis temporibus Lectorum praestantiam ostendebat?

Viri principes honori ducebant, si ad Lectoris gradum proveherentur: immo in Ecclesia ipsa tamquam gloriosum praemium fuit hic Ordo illustribus Christi Confessoribus aliquando collatus, ut cum Aurelio et Celerino s. Cyprianus fecit.

CAPUT VII.

DE ORDINE EXORCISTATUS

Quid est Ordo Exorcistatus?

Est tertius inter minores Ordines, quo datur potestas expellendi daemones a corporibus sive baptizatorum, sive catechumenorum.

Quid Exorcistae nomine significatur?

Exorcista latine *adjurator* est, quatenus sacris adjurationibus utitur, ut daemones a corporibus expellat, quod olim proprio vocabulo *exorcizare* dicebatur.

Quo item nomine ii donantur quorum corpora daemones possident?

Energumeni vel *obsessi* sunt dicti.

Qua sacra caeremonia Exorcistae ordinantur?

Audiunt ab Episcopo se accipere potestatem imponendi manus super energumenos, atque ex eorum corporibus immundos spiritus ejiciendi. Excitantur ad munditiem animi et morum integritatem, iisque liber Exorcismorum porrigitur ab eodem Episcopo iis verbis: *Accipite et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos.* Denique in Exorcistarum officio benedicuntur.

Potestas daemonum expellendorum ita ne est Exorcistarum propria, ut ceteris interdicatur?

Primis saeculis id omnes poterant; sed postea maluit Ecclesia minori huic Ordini eam potestatem reservare, forsan ut innotescat parvifaciendam diabolicam potestatem. Tandem gravibus ex causis ad majores Clericos fere semper devoluta est.

Majores Clerici utuntur ne hac facultate ut lubet?

Synodorum statutis cautum est, ne sine notitia et adprobatione Episcopi tum ab Exorcistis, tum etiam a majoribus Clericis ipsa exerceatur.

Exorcista potest ne officium suum exercere super infideles?

Minime; nam infideles extra Ecclesiam sunt, quia Baptismo carent.

Quomodo ergo exorcizari potest catechumenus qui Baptismum nondum suscepit?

Exorcizari potest, quia ab Ecclesia est receptus ut baptizetur, et jam flaminis seu desiderii Baptismate baptizatus videtur.

Sunt ne alia Exorcistarum officia praeter illud quod vi acceptae potestatis dignoscitur?

Eorum est etiam parare necessaria ad benedictionem aquae qua Ecclesia ad exorcismos utitur; ferre vas aquae benedictae ad aspersionem; monere illos qui Corpus Domini sumpsere, ut aliis dent locum; in altaris ministerio aquam fundere ad manus Sacerdotis abluendas.

CAPUT VIII.

DE ORDINE ACOLYTHATUS

Quid est Ordo Acolythatus?

Acolythatus est quartus ac postremus inter minores Ordines, quo tribuitur potestas inserviendi Subdiacono et Diacono in altaris ministerio. Hinc Acolythus, si graeci nominis vim spectemus, nihil est aliud nisi *servus juvenis* sive *pedisequus* qui aliquem comitatur eique ministrat.

Quomodo hic Ordo confertur?

Episcopus Ordinandos edocet quae officia sint Acolythorum, hortaturque ut filii lucis facti, ambulent in omni bonitate et justitia et veritate. Post haec candelabrum cum cereo extincto iis tangendum praebet dicens: *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini.* Tum tangendum item urceolum vacuum porrigens inquit: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Christi in nomine Domini.* Orat denique Deum omnipotentem, ut eos in officium Acolythorum benedicat.

Si aliquid omitteretur, vel adderetur quoad hujusmodi instrumenta, esset ne valida Ordinatio?

Si traderetur cereus accensus absque candelabro, vel urceolus plenus, valida esset Ordinatio; quia etsi aliquid superflui reperiretur, tamen ad officia indicanda nihil

deest. Si vero candelabrum absque cereo, quia per solum candelabrum Acolythi officium minimè patet, invalida foret. Ita etiam si urceolus tangendus non porrigeretur.

Quodnam Acolythi officium?

1. Parare vinum et aquam ad Eucharistiam in vasis non sacris Subdiacono porrigendis; 2. Subdiacono deservire; 3. accendere, deferre et asservare lumina in divinis Officiis; 4. ignem et thus servare pro thuribulo, atque illud deferre.

Quae alia erant olim Acolythorum munia?

Episcoporum ad Episcopos litteras olim deferebant, quibus majoris momenti negotia agebantur; perpetuique erant conversationis eorum testes. Pariter V saeculi initio fermentum, seu consecratas oblationes a Pontifice caritatis fovendae causa missas Presbyteris per titulos Urbis ministrantibus, die dominico deportabant.

Deficiente Subdiacono, potest in Missa solemni Acolythus Epistolam canere?

Data necessitate, de Superiorum licentia, potest, sed sine manipulo, ut cognoscant omnes illum hoc agere non ex officio. Secus, si manipulo uteretur, *irregularis* evaderet.

CAPUT IX.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

Ad quam regulam componenda est vita Clericorum?

Clericorum vita omni virtutum genere ornari debet; nihil enim sanctius, nihil augustius Sacerdotio, ad quod ii successivo aliorum Ordinum ministerio vocantur.

Aliqua ne peculiaria sunt quae Clericis sacri Canones vetant?

Vetita sunt plurima: 1. Venatio *clamosa*, cum magno scilicet armorum et canum apparatu: *quieta* tamen in-

dulgetur ad honestam animi relaxationem. 2. Alearum ludi ancipiti fortunae arbitrio commissi. 3. Choreae et profana spectacula, utpote quae maxime dedecent clericalis status modestiam et sanctitatem. 4. Negotiatio cum quaestu sive per se, sive per alios, juxta illud Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus*. 5. Tabernarum frequentatio, nisi in itinere.

Quae praeterea ab ipsis fugienda?

Caveant ab ebrietate, ab avaritia, ab incontinentia, fugiantque diligentissime quidquid aut vitiis illis ansam praebet, aut illorum suspicionem parit.

Clerici qui comam nutriunt, quique elegantes sunt in vestibus, ulla ne canonica sanctione plectuntur?

Multi contra ipsos lati sunt Canones, et merito. Inhonestat enim Clericorum sanctitatem nimium diligens capillorum ac vestium cultus, et Tridentina Synodus decrevit Clericos canonicis etiam poenis a proprio Episcopo cogendos ad honestum et clericalem habitum semper deferendum.

Ad quid porro tenentur Clerici?

Obligantur praecipue morum probitati studere, qui sacrae illorum vocationi conveniant, in explendis muniis sacris adamussim incumbere, et omnia adhibere media, ut seipsos sanctificent.

Velim ut recenseas haec media, et primum ostende, an necesse sit, ut Clericus habeat spiritum fidei?

Utique: si enim Clericus non sit homo fidei, nihil erit sollicitus de Dei gloria, de sua proximique salute. Hinc Ecclesiasticus non tantum debet intellectum suum in fidei obsequium captivare, abhorrere a novitatibus, ne deceptus ab inimicis Crucis Christi in errorem labatur; sed etiam operibus suam fidem ostendere. Ex hoc enim quod haec fides in pluribus etiam Ecclesiasticis viris mortua est, plura mala in ipsa Ecclesia oriun-

tur, mysteria divina sine debito spiritu administrantur, conciones et catecheses inutiles evadunt, et fideles, quin juventur in salutis disciplina, scandala patiuntur.

Quomodo Clericus hunc fidei spiritum sibi comparare valebit?

Per orationem, sacram librorum lectionem, Sacramentorum frequentiam et christianarum virtutum exercitium.

Ostende orationem esse Clericis necessariam?

Si omnibus tanta est necessitas orationis, ut fidei dogma sit, neminem sine illa salutem consequi posse, Clerico plus ceteris convenit orare; exigit enim hoc status sacer quem amplexus est, et vocatio ejus particularis.

Quid habes dicendum de lectione spirituali?

Quotidie aliquid temporis piae lectioni impendendum: quemadmodum enim corpus cibo indiget, ita et anima spirituali nutrimento opus habet, ne cito langueat et arescat; unde Apostolus Timotheum monet: *Attende lectioni.*

Quinam libri legendi?

Ante omnia sint castae deliciae Clerici Scripturae sanctae. Hac lectione non tantum discit quae alios doceat, sed et quae sibi ipsi applicet. Alios quoque libros spirituales legat, et singulis diebus sive mane, sive vespere, semihoram huic exercitio impendat. Constat quanto fervore s. Ignatius Loyolita ex hujusmodi librorum lectione in Christi et Sanctorum vestigiis premendis exarserit. Ad hoc adhibeat vel aureum libellum venerabilis Thomae a Kempis *De imitatione Christi*, vel s. Francisci Salesii *Introductionem ad vitam devotam* seu *Philotheam*, vel certamen spirituale P. Laurentii Scupoli, aut opus eximium P. Pauli Segneri, cui titulus: *Manna spiritualis*. Ceterum non cursim legat, sed lecta mente ruminet et gustet; non multa sed multum.

Praeter lectionem, quid etiam juvabit ad profectum spiritualem?

Magis adhuc juvat oratio mentalis, seu sacra meditatio, qua homo interna cordis oratione veritates religiosas perpendit, gustat sibique applicat, ut ad earum normam vitam suam corrigat et perficiat. Meditando enim intellectus illustratur, animus movetur, piae sensiones et affectus excitantur, sancta desideria et proposita formantur, quae ad vitae emendationem fortiter exstimulant.

Est tantum utilis meditatio, vel est etiam necessaria?

Plane necessaria est meditatio. Sunt qui dicunt absque meditationis exercitio nullum, secluso Dei miraculo, ad christianae Religionis normam attingere. Hinc facile explicatur, cur nostro aevo plurimorum Clericorum vita langueat, cum meditationis exercitium plane obsoleverit.

Quaenam methodus sequenda in meditatione?

S. Franciscus Salesius facilem hanc proponit methodum: vespere diei praecedentis eligatur objectum, de quo sequenti mane meditatio facienda; et cum tempus meditationis advenerit, in praesentia Dei animo collocato, divinum auxilium implorandum, ut meditatio bene procedat. Tunc in memoriam revocetur objectum pridie designatum, illudque mente ponderando, secundum varias illius qualitates et circumstantias sibi applicetur; et pensando proprios defectus, humilitatis, doloris, poenitentiae sensus excitentur, et proposita fiant vitae in melius mutandae; hinc gratiarum actiones Deo agantur pro luminibus et favoribus in illa acceptis.

Quem ordinem sequetur Clericus quotidie in suis actionibus?

Omnia honeste et secundum ordinem fiant, ait Apostolus ad Corinthios, innuens non dari honestatem mo-

rum sine ordine vitae. Qui nulla ordinis lege tenetur, fluidus ac vagabundus omnia arripit, ac in nullo proficit. Quapropter si Clericus proficere cupit in sapientia et virtute, certos sibi canones scribat. Horas surgendi et cubitum pergendi, orandi et meditandi, studio litterarum, vel necessariae relaxationis animi vacandi, prandendi et coenandi, quantum fieri poterit, determinet et accurate servet. Attendat ut cuilibet negotio aptum tempus adsignet, et difficilioribus occupationibus faciliores succedant. Sic dies bonos transiget et plenos, et quae placita sunt Patri, faciet semper.

Quid agere debet initio diei?

Ne tardet relinquere lectum suum, quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem Dei, et ad ortum lucis eum adorare. Tum corpori, tum animae haud parum nocet vigilem in lecto volutari, et inanibus cogitationibus inhaerere.

Vestitus lotusque quibus incumbere debet?

Coram imagine Crucifixi genuflexus preces matutinas recitet, gratias agens pro beneficio novi diei et pro omnibus bonis a Deo acceptis, seipsum suaque omnia Deo offerens cum intentione omnia faciendi et patiendi in gloriam Dei, proponens bona quaedam specialia peragere, et peccata quaedam specialia vitare: gratiam divinam et benedictionem petat, beatissimam Virginem omnesque Coelites specialesque Patronos invocet, atque ad sacrum audiendum quamprimum eat.

Quid dicendum de precibus jaculatoriis per diem fundendis?

Ut vitam quis gratam Deo vivat, tria praecipua sunt attendenda: 1. Ut bona debite peragat; 2. mala caute vitet; 3. peccata commissa cito deleat. Ad primum requiritur bona intentio, ejusdemque frequens per diem renovatio, ut nempe actiones fiant non ex motivo naturali, sed ex amore Dei. Ad secundum opus est me-

moria praesentis Dei. Ad tertium adsuescat actibus contritionis post singulos lapsus eliciendis. Hujusmodi pii actus non prolixis orationibus fiant, sed momentaneis adspirationibus, quae preces jaculatoriae vocantur, ac quae magnum devotioni excitandae fovendaeque adjumentum afferunt.

Quid habes de visitatione SS. Sacramenti?

Vix ullum pietatis exercitium tam efficax invenitur, quo in vita spirituali proficiatur, quam frequens et devota SS. Sacramenti visitatio. Hinc SS. Sacramentum singulis diebus Clericus visitare et adorare adsuescat, secutus vestigia Sanctorum, qui coram augustissimo Sacramento jucundissimas duxere horas.

Ad finem vergente die quae erit praecipua sollicitudo Clerici?

Caveat ne obliviscatur Dei, cujus favore diem transegit, et temerarius esset qui, offenso et non reconciliato Deo, auderet se nocti et somno credere. Quapropter antequam cubitum se conferat, examen conscientiae instituat, quod numquam, licet occupatissimus, omnino negligat. Hinc si mortali peccato sit gravatus, satagat elicere actus perfectae contritionis cum voto Confessionis quantocius peragendae.

Est ne utilis examen conscientiae quotidie institutum?

Quam maxime: mire enim juvat ut peccata cognoscantur, et sedulo emendentur.

Quae praxis sequenda in hoc vespertino examine conscientiae?

Praxis ejusdem traditur a s. Ignatio, et quinque partes continet. 1. Fit commemoratio beneficiorum Dei, humilisque gratiarum actio. 2. Postulatio gratiae ad impetrandum lumen, quo culpae perspicue dignoscantur. 3. Conscientiae discussio, inquirendo quid singulis horis, inde a tempore vigilandi, cogitatione, verbo et opere et omissione quis peccavit. 4. Excitatur dolor ac

detestatio peccatorum, una cum imploratione divinae misericordiae quae delicta commissa ignoscat. 5. Propositum emendationis, quod non in generalibus subsistat, sed ad res speciales descendat.

Cum hora venerit cubitum pergendi, quibus vacabit Clericus?

Preces vespertinas fundat, et, si tempus suppetat, legat aliquid ex libro spirituali, adspergat se aqua benedicta, et dum somnum exspectat, piis meditationibus inhaereat, ne mens ad inania rapiatur. Si ante somnum subrepat aliqua suggestio vel tentatio satanae, caveat ne in illa obdormiscat; sed oratione, Novissimorum recordatione, et per refugium ad vulnera Christi, ad B. Virginem, ad Angelum Custodem eam reprimat. Quoties vero per noctem expergiscitur, mentem protinus piis adspirationibus ad Deum elevet, et oret pro peccatoribus, pro defunctis, pro aegrotis et moribundis.

Praeter haec de quibus hactenus locuti sumus, nonne Sacramenta maxime juvant ad profectum spiritualem?

Utique, et quidem uberrimi percipiuntur fructus ex Sacramentorum frequentia. Hinc majoribus Ordinibus initiatis, ut singulis dominicis et solemnioribus festis, ac diebus principalioribus B. Mariae Virgini et Protectori sacris, praevia sacramentali Confessione, ad sacram Synaxim accedant, praescribitur: reliqui vero ad Tonsuram promoti, seu minoribus Ordinibus insigniti, praeter enuntiatas solemnitates, singulis diebus quindecim de mensa Domini participent.

Quo spiritu debemus accedere ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae?

Oportet accedere ad Sacramentum Poenitentiae viva fide obtinendi remissionem peccatorum, corde contrito et firmo proposito in melius vitam mutandi, ad quod maxime juvabit si, antequam accedamus ad sacrum tri-

bunal, dabimus operam, ut reformemus defectus qui sunt postea in Confessione aperiendi. Pariter tum praemittantur, tum subsequenter eliciantur debitae dispositiones ad effectus obtinendos qui ex sacra Communione dimanant.

Quaenam pietatis exercitia propria erunt Clericorum?

Primum curent ut perficiant quod lex divina vel ecclesiastica, vel officia proprii status exigunt. Dein illa pietatis exercitia primum occupent locum, quae ad vitia fugienda, ad peccata devitanda, ad virtutes comparandas juvant; nec plurima, sed quae amplectuntur, sedulo impleantur.

Exhibe praecipua hujusmodi exercitia quibus Clerici utantur?

1. Erit devotio erga Trinitatem augustissimam, ad exemplum Ecclesiae, quae in suis precibus, psalmis, canticis et hymnis semper Patri, Filio et Spiritui Sancto gloriam dicit; excitent semper suam fidem in hoc mysterio Trinitatis, eamque continuo invocent. 2. Devotio erga SS. Sacramentum altaris. Hinc sacrificio Missae cum tremore intersint, visitent Christum in tabernaculo absconditum, et sic vivant, ut possint frequenter in sacra Communione ipsum recipere. 3. In singulis anni solemnitatibus in memoriam revocent mysteria Religionis quae celebrantur, quibus ducimur ad cognitionem Christi Jesu, imitatores facti Apostoli Pauli qui scribebat: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* 4. Sanctissimam Virginem speciali pietatis studio prosequantur, eam invocent in necessitatibus, eam imitentur in virtutibus; Apostolos et Sanctos quosdam Episcopos et Sacerdotes virtute illustres venerentur eorumque exempla imitentur.

Quae virtus est maxime Clericis necessaria?

Modestia, quae juxta s. Thomam moderatur, corporales

motus et actiones, ut scilicet decenter et honeste fiant. Ait enim Apostolus ad Colossenses: *Induite vos, sicuti electi Dei, sancti et dilecti, modestiam*; et ad Titum: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate:* et s. Petrus Damianus: *In vita vestra*, inquit, *legatur quid agi, quid vitari conveniat.* Et reapse cum Clerici aliis omnibus tamquam exemplum propositi sint ad imitandum, oportet maxime ut non solum mentem interius componant, sed ut exterius honestatem et modestiam praeseferant, ne hominibus, de externis judicantibus, scandalo sint, eorumque status et ministerium in contemptum veniant.

In quo potissimum relucere debet Clericorum modestia?

1. *In exemplari conversatione*. Censuram morum exemplo suae conversationis insinuent, et amorem innocentiae conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit Ordinis. 2. *In locutione.* Qui moderatur labia sua, prudentissimus est, et qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. Hinc stultiloquium, scurrilitatem et nugas caveant, sed verba adhibeant utilia. 3. Tandem in gestu, habitu, incessu, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeportent, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

Quibus aliis virtutibus fulgere debet Clericus?

Ante omnia sectetur humilitatem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sit mitis et mansuetus: ira enim viri bonum non operatur. Caritatem habeat erga omnes, quia caritas operit multitudinem peccatorum. In molestiis et aerumnis patientiam conservet; dulcia enim non meruit qui non gustavit amara. Mollitiem et nimiam corporis curam vitet, nam sapientia non habitat in terra suaviter viventium. Jejunia ecclesiastica, immo et alias mortifi-

cationes sponte sua adjungat ad exemplum Christi. Gratia Dei sit principium, amor Dei sit motivum, voluntas Dei sit regula, praesentia Dei sit praeses, gloria Dei sit finis omnium actionum suarum. Haec qui secutus fuerit, beatus! Vita ejus erit sancta, mors pretiosa, merces magna nimis in vita aeterna.

Ut in omnibus hisce officiis perseveret Clericus, eaque debito modo peragat, quid perpendere juvat?

1. Ut Clericus vitam Deo acceptam instituat, in suis actionibus finem respiciat cur in Clerum sit cooptatus, nempe ut per virtutum exercitium dignus fiat sese addicendi iis omnibus quae respiciunt Dei gloriam, Ecclesiae honorem, proximorum salutem. 2. Omnem navet operam ut cognoscat sua officia, eaque amet et adimpleat. 3. Regulas vitae ducendae sibi proponat et sedulo observet. 4. In contemptum habeat saeculi irrisiones et judicia, memor illius dicti Christi Domini: *Qui erubuerit me, hunc Filius hominis erubescet.*

Episcopi quomodo provident Clericorum institutioni?

Per Seminaria, quae Concilii tridentini decreto ea potissimum de causa erecta sunt, ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum, quas Sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur. Hinc qui Seminarium ingreditur, sibi proponat bonum ministrum altaris evadere, seque, Deo adjuvante, purum ab omni peccati labe conservare, et clericalem militiam ingrediens, renovetur spiritu mentis suae, et induat novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, eaque sit mente et voluntate, ut regulis ab Episcopo statutis fideliter pareat.

Peccarent qui statuta disciplinaria transgrederentur?

Ordo est anima rerum, qui maxime necessarius evadit in Seminariis, et qui illa ingrediuntur, hoc ipso promittunt legum ibi obtinentium fidelem observantiam; hinc raro earum transgressio a peccato est immunis,

quia fere semper ex neglectu, libidine vel contemptu procedit.

Nonne Seminaria Clericis in litteris quoque erudiendis statuta sunt?

Equidem verum est. Cum enim Clerici instituantur ut fiant digni operarii in vinea Domini, et sint mysteriorum Dei dispensatores legisque divinae praecones, debent omni conatu curare ut scientiam adquirant quae muniis suis explendis necessaria est, ne Dominus contra ipsos quoque illa Osee verba convertat: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Deum obsecrent non tam ore, quam corde, ut studia bene cedant, memores plures Sanctos profiteri, se magis ab oratione, quam ex libris scientiam hausisse.

Quid de caeremoniis, et de cantu ecclesiastico dicendum?

Ritus et caeremoniae ad hoc institutae sunt, ut mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem exciteptur, et Concilium Tridentinum vult, ut quilibet Episcopus quae ad debitum in divinis Officiis regimen spectant, et de congrua in iis canendi seu modulandi ratione quae necessaria sunt, praescribat.

Quoad haec quodnam erit Clericorum officium?

Caeremonias ab Ecclesia praescriptas, quas adamussim tenetur quilibet observare, ediscant, et cantui Gregoriano dent operam diligentem.

Generatim quaenam a Clericis observanda, dum intersunt divinis Officiis?

Modestia, gravitate, silentio Clerici debent interesse divinis Officiis; avertant oculos ne videant vanitatem; preces recitent et psalmos cantent devote; dum caeremonias peragunt, vel ambulant, vel stant, vel sedent, ita omnes actus componant, ut populus, eorum exemplo ad pietatem commotus, debita reverentia et religione in loco sancto adsit mysteriis sanctis.

DE
ORDINIBUS MAJORIBUS

CAPUT X.

DE ORDINE SUBDIACONATUS

Quid est Ordo Subdiaconatus?

Est primus inter majores et sacros, quo traditur potestas ministrandi Diacono, et Epistolam legendi in Missae sacrificio. Dicitur *sacer*, quia in eo ordinatus ad Sacerdotium accedit, quia per continentiam Deo sacratur, et quia vasa sacra tangit. Dicitur vero *major*, quia etsi ante saeculum X inter minores Ordines haberetur, sicuti etiam nunc apud Graecos; attamen Urbani II, seu verius Innocentii IV tempore inter majores fuit recensitus, ut Subdiaconi, sicuti plerique sentiunt, etiam in Episcopos adsumi possent, dum ex veteri canonica lege ad Episcopatum in majoribus solummodo Ordinibus constituti promoverentur.

Quales esse debent ad Subdiaconatum promovendi?

Qui Subdiaconatus Ordine insigniri desiderant, vigesimum secundum aetatis annum attingant oportet, sint commendati ob morum innocentiam, gravitatem et industriam in iis rebus omnibus quae ad hunc Ordinem spectare noscuntur; sint in exercitiis pietatis et Sacramentorum susceptione assidui, atque de Ordine Acolythatus exercendo solliciti.

Ordo iste est ne Sacramentum?

De hoc, sicuti et de quatuor minoribus, disputant Theologi. Affirmativam sententiam post s. Thomam et s. Bonaventuram multi Theologi adoptarunt; praecipue

ubi de Subdiaconatu sermo est. Alii tamen non pauci, post Petrum Lombardum, omnibus Ordinibus, exceptis Sacerdotio et Diaconatu, vera Sacramenti rationem denegant. Difficilis et implicata est quaestio, quam Ecclesia numquam definivit.

Quomodo confertur?

Episcopus legem perpetuae continentiae huic Ordini impositam esse admonet, eosque non esse cooptandos edicit, quibus non placet in sancto proposito perseverare. Declarat deinde, quale sit Subdiaconatus ministerium, quantaque sedulitate exercendum. Tum singulis *calicem vacuum*, cui *vacua patena* superimposita est, tangendum praebet dicens: *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*. Singuli pariter *urceolos* aqua et vino plenos una cum *lebete* et *linteolo* quo manus absterguntur, ab Archidiacono accipiunt, ut intelligatur Hypodiaconum Diaconi officio subservire. Post haec Episcopus *amictu*, *manipulo*, *tunica* ipsos induit. Demum Epistolarum librum tradit una cum verbis praescriptis.

Quaenam materia et forma Subdiaconatus?

Eugenius IV in Concilio Florentino Subdiaconatus materiam esse dixit calicem *vacuum cum vacua patena* superposita; formam, verba quae eamdem instrumentorum traditionem comitantur. Ex quibus colligitur *urceolum*, *lebetem* et *linteolum* ad Ordinationis substantiam non pertinere; quemadmodum, cum *libri* traditio non fuerit perpetua apud Latinam Ecclesiam, sequitur Epistolarum librum non forte ad *substantiam*, sed ad materiae, ut plerique autumant, *integritatem* pertinere, nisi dicere cum aliis Theologis velis, ea libri traditione declarari quae sit ordinatorum potestas, et qui usus acceptae potestatis.

Quaenam sunt Subdiaconi officia?

1. Calicem patenamque offerre Diacono, eique ministrare. 2. Aquam in calicem ad ministerium altaris infundere, et aquam ad extrema digitorum abluenda Episcopo ac Sacerdoti sacra facienti praebere. 3. Patenam velo coopertam manu dextera gestare. 4. Epistolam legere. 5. Diacono Evangelium canenti librum apertum tenere, et Sacerdoti deosculandum postea exhibere. 6. Pacis osculi a Diacono dati illos participes facere, quibus incensatio peracta fuerat. 7. Crucem in processionibus deferre. 8. Pallas, corporalia et purificatoria abluere. Si quis haec ageret officia lethali peccato maculatus, a peccato et quidem gravi, si ad altare ministret, non excusatur.

Ad quid tenetur Subdiaconus?

Praeter ea omnia, quae quilibet praestare Clericus debet, tenetur 1. servare castitatem; 2. Officium divinum quotidie recitare; 3. Ecclesiae perpetuo inservire.

CAPUT XI.

DE CASTITATE

Lex perpetuae continentiae quando sancita, et cur ab Ecclesia Clericis imposita?

Apostolorum exemplo qui vel virgines, vel post nuptias continentes fuere, Episcopi, Presbyteri et Diaconi a primis saeculis vel caelibatum, vel perpetuam saltem continentiam servaverunt, neminique ex iis nuptias contrahere post sacram Ordinationem licuit; quae sancta disciplina quarto et quinto saeculo, latis Conciliorum Summorumque Pontificum decretis, confirmata est. Quoad Subdiaconos variavit aliquantulum disciplina; sed saeculo IX continentiae vinculo obstricti fuere, quod nunc etiam stabili Canone in Ecclesia servatur. Fuit autem Clericis haec lex imposita, ut a profanis ne-

gotiis et a Matrimonii sollicitudinibus alieni, divinis ministeriis uberius vacent, procurandaeque fratrum suorum saluti, nullis obstaculis praepeditam operam navent; ut Clerici liberi mente et corpore ad divina mysteria tractanda mundiores accedant.

Concilium porro Tridentinum veterem hanc Occidentalis Ecclesiae disciplinam confirmavit, addiditque nullius esse roboris Matrimonia quae post sacros Ordines ineuntur.

Ex lege tantum, aut etiam ex voto caelibem vitam vivere majores Clerici obligantur?

Non desunt qui a sola lege Clericos obligari arbitrentur, tum quia nullae exstant de hoc Ecclesiae sanctiones, neque voti meminit Pontificale Romanum; tum quia Ecclesia in connubiis impedimentum Ordinis ab eo discernit quod profluit ex voto, et Tridentina Synodus dum utrumque impedimentum refert, alternatis utitur verbis, *vel lege ecclesiastica, vel voto*. Attamen Theologi paene omnes post s. Thomam et a lege, et a solemni voto ita innodatos Clericos censent, ut Subdiaconatus Ordinem isti suscipientes tacite profiteantur ac voveant castitatem. Nam cum votum sit promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili, Subdiaconus ab Episcopo de castitate servanda monitus, dum postea ad Ordinem accedit, procul dubio, etsi non verbis, signis tamen et acceptione ipsa promittere manifestum facit. Hinc Subdiaconus castitatem violans duplex committit lethale peccatum, alterum contra virtutem castitatis, alterum contra religionis virtutem, quod etiam sacrilegium dicitur.

Virtus haec castitatis Clerico est necessaria?

Maxime, tum quia haec virtus summa pollet excellentia, et a Christo Domino fuit electa et dilecta, tum quia sanctitas status clericalis maximam exigit sanctitatem. Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis

coelis esset collocatus, inter coelestes illas virtutes medius staret. Tales sane decet Deum habere ministros, qui nullo carnis contaminentur contagio, sed plena mentis et corporis castitate praefulgeant.

Quid agere oportet ad castitatis virtutem sedulo servandam?

Qui castitatem in deliciis habent, et recogitent corde illam esse proprium ac praecipuum Clericorum ornamentum, monita haec servare sollicite satagant. Dent operam potissimum ut 1. per humilitatis custodiam servent munditiem castitatis, scientes impuritatem ut plurimum esse poenam superbiae, juxta illud Apostoli: *Evanuerunt in cogitationibus suis; .. propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae*. 2. Regulas temperantiae in cibo et potu sequantur; nam *ubi saturitas, ibi libido dominatur*; et difficile inter epulas servatur castitas, dapibus et epulis inimica. 3. Otium aversentur, quia luxuria cito decipit hominem otiosum. 4. Orationi incumbant; est enim pudicitiae praesidium atque tutamen oratio. 5. Spectacula, nimis familiarem cum feminis consuetudinem et reliqua mundi oblectamenta fugiant quae animum corrumpunt; ait enim Hieronymus: *Inter tantas illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat*. 6. Tandem per vigilias, jejunia et Sacramentorum frequentiam, Dei gratia adjuti, tentationibus satanae obsistant.

CAPUT XII.

DE OFFICIO DIVINO

Quid est Officium divinum?

Per Officium divinum preces vocales ab Ecclesia praescriptae, nomine ipsius Ecclesiae persolvendae, intelliguntur. Dicitur etiam *Breviarium*, eo quia, ut ali-

qui volunt, breviter sacram Scripturam, sanctorum Patrum Sermones, nec non ecclesiasticam historiam continet, vel quia hodiernae preces veteribus longe sunt breviores. Similiter ab obligatione ecclesiasticis viris indicta *Officium ecclesiasticum*; quatenus vero deprecationes ad Dei cultum pura mente deferre oportet, *divinum Officium* appellari consuevit. Dicuntur etiam *Horae canonicae*, quod certis horis fundantur, et ad Dei cultum juxta Canonum regulas institutae sint. Horae autem canonicae sunt septem, et consuetudinem Prophetae Davidis, qui septies in diem laudem Deo dicebat, innuunt.

Quae est harum precum antiquitas?

Cum ad intimam christianae Religionis naturam fusae ad Deum juges deprecationes spectent, si de earum substantia loquimur, non est quod dubitemus, eas exordio Religionis ipsius esse coaevas. Primis item Ecclesiae saeculis et Laici et Clerici ad psallendum statis horis conveniebant; Clericique si publica recitatione pensum divini Officii persolvere cum aliis non potuissent, illud privatim conficere curabant. Porro in iis conventibus iidem Psalmi, quibus etiamnum utimur, sacris quoque Lectionibus interpungebantur.

Quinam ad divinum Officium persolvendum obligantur?

Olim tum majores, tum minores Clerici hac obligatione devinciebantur. Veteri autem disciplina vertente, Clericisque initiari coeptis quin alicui fixo titulo addicerentur, sensim, indulgente Ecclesia, divini Officii obligatio devoluta est ad Clericos in majoribus constitutos, aut Beneficium obtinentes, qui gravem culpam admittunt si Horas privatim non recitent, aut non decantent in Choro, vel solam notatu dignam earum partem omittant. Immo in Concilio Lateranensi et a Pio V sancitum est, ut Clericus beneficiarius privetur beneficii fructibus qui uni diei respondent, si uno die

omne Officium omittat, vel ea tantum fructuum parte, quae ad omissam partem Officii referri potest. Qui fructus in pios usus expendendi sunt; neque exspectandam judicis sententiam, ut poena isthaec subeatur, Alexander VII declaravit.

Quaenam excusant ab hac obligatione?

Impotentia, infirmitas, caritas, dispensatio. 1. *Impotentia:* impotens dicitur qui ob inculpatum libri defectum preces ipsas memoriter non tenet; qui sine gravi incommodo id facere non potest, ad quod obligatur, ut esset de eo qui inter haereticos aut infideles degens graves ab iis metueret cruciatus, si Officii pensum persolveret. 2. *Infirmitas:* quae talis sit oportet, ut absque gravi molestia morbique incremento tolerari Horarum recitatio non possit. Id vero vel factum ipsum, vel medici aut spiritualis moderatoris prudens judicium decernit. Ceterum qui ex adversa valetudine, aut alia quacumque de causa totum Officium recitare minime potest, tenetur saltem partem illam persolvere quam potest. 3. *Caritas:* nempe officia quaevis caritatis quae praestantioris perfectionis officia sunt, si differri aut omitti nequeant, quin nobis aut aliis grave incommodum ferant, onus amovent recitationis. 4. *Dispensatio:* quae justa esse debet et legitima. Verum haec obligatio urget etiam excommunicatos, suspensos, depositos, in triremibus carceribusque degentes, cum nemo ob delictum a propriis obligationibus eximatur.

Quomodo Officium divinum recitandum?

Ad rite Officium persolvendum requiritur 1. Praeparatio. Praeparandus est animus ante preces, ut Spiritus Sanctus docet: *Ante orationem praepara animam tuam.* Quae praeparatio in eo primum sita est, ut vita bene morata agatur, deinde in eo, ut mens ante preces ad se redeat, et implorans cogitet in cujus conspectum se sistat. 2. Attentio actualis desideratur qua quis ad ver-

ba et ad verborum significationem attendat, aut saltem *virtualis* necessaria qua intendat honorare Deum suoque muneri nomine Ecclesiae satisfacere. 3. Non interrupta continuatio, quamvis dividi posse adserunt plerique Matutinum a Laudibus per conveniens temporis spatium. Immo, juxta quosdam, per breve tempus et rationabili de causa, etiam Nocturnos, qui non successive sed interpolate olim recitabantur. 4. Non ordinis inversio. Qui tamen adeunt Chorum Officio inchoacto, debent recitare sive Horas, sive Psalmos qui tunc persolvuntur. Supplenda tamen postea erit pars illius Officii quae fuit praetermissa, dum culpabilis non adsit negligentia. Idem dicendum, si ex debito caritatis, seu quacumque alia justa de causa, necessario persolvenda fuerit pars aliqua subsequens antequam recitari possit pars anterior. 5. In tempus congruum, nempe interruptis vicibus mane ac vespere pensum istud persolvatur ab iis qui possunt, quod propius ad primaevam temporis rationem, et ad divinum jugis orationis praeceptum accedit. Ex consuetudine tamen Matutinum cum Laudibus diei crastinae recitari potest post Vesperas antecedentis diei, eo quod a Vesperis dies ecclesiasticus incipit, et tempore Quadragesimae Vesperae dicuntur circa meridiem. 6. Qualitate demum Officii servata juxta ritum Breviarii Romani, et secundum praescriptum Calendarii dioecesani.

Aliquid ne aliud requiritur, ut haec Officii recitatio placeat Deo?

Muneris nostri est, ut ea recitatio *reverenter, distincte, devoteque* Deo reddatur, quemadmodum reddere preces decet. Quare incompositus corporis situs, joci, risus, confabulationes et his similia reverentiae obsistunt. Pariter distincte Officium persolvimus, si non *cursim* pronuntiemus, non *perturbate*, non *mutilatis dictionibus*, non *quassatis in gutture*, aut *inter dentes*

verbis. Tandem devote horas recitare dicitur is qui *alacritate* quadam animi et spirituali *gaudio* eas recitat, qui ad eas recitandas piis Spiritus Sancti *motibus* excitatur, qui orat in spiritu et veritate, id est toto corde eaque mente, ut ejus precationes exaudiantur. Hinc data opera nihil aliud orando cogitet, vel causam ponat ex qua dimanant animi evagationes, nempe superflua ante preces colloquia, nimius rerum terrestrium amor, frequentia profanarum sollicitudinum qua quis obruitur et quasi extra se versatur. Istae enim evagationes mentis voluntariae vel in se, vel in causa culpabiles sunt.

Quandonam incipit obligatio Subdiacono divini Officii persolvendi?

Etsi putent aliqui, quod Subdiaconus recitare teneatur illam tantum horam, horae Ordinationis respondentem, attamen tutius erit totum diei illius Officium religiose persolvere; immo praeter integrum Officium statutum, Nocturnum illius diei proprium recitare tenetur ab Episcopo praeceptum, nempe Nocturnum Feriae; et si extra tempora die Dominica Ordinatio fiat, Nocturnum primum illius Dominicae.

CAPUT XIII.

DE TITULO ORDINATIONIS MAJORIBUS CLERICIS NECESSARIO

Quid est titulus Ordinationis?

Ante Concilium Lateranense III Ordinationis titulus erat *addictio* Clericorum cuidam Ecclesiae, a cujus servitio sine Episcopi consensu se subducere non licebat, et Clerici jus nanciscebantur ex bonis Ecclesiae cui erant addicti, et alimenta et cetera vitae necessaria accipiendi. Facta vero bonorum ecclesiasticorum divi-

sione, invectisque beneficiis, cum Clericorum numerus augeretur, nec beneficia tot Clericis ordinandis sufficerent, Alexander III indulsisse visus est, ut Clericus ordinari etiam posset quando ei aut ex sua, aut ex paterna haereditate vitae subsidium obveniret. Hinc exortus est duplex Ordinationis saecularium Clericorum titulus, alter *Beneficii*, alter *ecclesiasticae Pensionis* vel *Patrimonii*. Sunt et alii tituli, nempe titulus *Professionis religiosae* in Ordine propriis bonis ad suos alendos sufficientibus instructo, aut *Paupertatis* in Ordine *Mendicantium*.

Quid hac de re Concilium Tridentinum?

Acriter in generalibus hisce comitiis contra patrimoniales titulos pugnatum est; tandem statutum est, ut deinceps nemo sacris Ordinibus initietur nisi ecclesiasticum Beneficium pacifice possideat. Patrimonium vero obtinentes solum ordinari sanctum Concilium jubet, quando Episcopi eos sumendos esse judicant pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum. Ex quo elucet titulum Patrimonii ad mentem Concilii esse titulum extraordinarium.

Qualis esse debet Pensio, et quale Patrimonium ut sit legitimus titulus Ordinationis?

Talia esse oportet, ut et pacifice possideantur, et Clerico honeste sustentando satis sint; quod a regionum pendet varietate. In nostra Dioecesi ea erat patrimonialium bonorum summa, quae quibuscumque tam publicis, quam privatis oneribus deductis, esset annui reditus ducatorum quinquaginta monetae venetae. Nunc autem est annui reditus centum florenorum monetae austriacae. Clericus autem non potest resignare Ordinationis titulum absque Episcopi facultate, quae ab ipso negatur, nisi beneficium ecclesiasticum sufficiens adeptus sit, vel aliunde habeat quo vivere possit.

CAPUT XIV.

DE ORDINE DIACONATUS

Quid est Ordo Diaconatus?

Diaconatus est secundus inter majores et sacros Ordines, quo traditur potestas ministrandi Episcopo ac Sacerdoti, nec non Evangelium legendi in Missae sacrificio. Prima in nova Lege Diaconorum mentio fit Actuum VI, ubi tamen observandum est Apostolos primae Diaconorum creationis occasionem desumpsisse ab officio secundario, a cura scilicet habenda viduarum et pauperum. Verum eorum ministerium sacrum esse ex ipso capite Actuum elucet, ubi dicitur: *Considerate viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia*. Quae conditiones ad mere laicale munus non sunt procul dubio necessariae. Immo sacra munia obiisse perspicuum est. Stephanus fidem Christi divinaque mysteria annuntiavit. Philippus in Samaria Evangelium praedicavit, multosque baptizavit.

Diaconatus est Sacramentum?

Diaconatus habet quidquid ad verum Sacramentum requiritur. Habet 1. signum externum, manuum scilicet impositionem cum oratione. Ita enim septem primi Diaconi inaugurati fuerunt. 2. Habet institutionem Christi; tum quia Apostoli nihil fecerunt, nisi quod edocti fuerunt a Christo, tum quia veteres Diaconos ex mandato Christi institutos fuisse declarat inter alios Clemens Romanus: *Apostoli acceptis a Christo mandatis... Episcopos et Diaconos constituerunt*; et a Tridentino definitur *Ministros*, id est *Diaconos*, ad hierarchiam pertinere divina ordinatione institutam. Tum quia 3. confert gratiam, et nemo gratiam ritui externo alligare potest, quam Deus. Sic Tertullianus: *Caro manus im-*

positione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur; et Tridentinum ait: *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum;.. anathema sit.* Id etiam confirmatur ex dotibus quae Apostoli postularunt in iis qui Diaconi ordinandi erant.

Quomodo confertur?

Per impositionem manus Episcopi super caput Ordinandi, et per libri Evangeliorum, una cum praescriptis verbis, traditionem. Observandum tamen primis Ecclesiae saeculis, Apostolorum exemplo, per solam manus impositionem promotos fuisse Diaconos. Ast quando Subdiacono praescriptum fuit onus legendi Epistolas, verosimiliter tum quoque praescripta fuit libri Evangeliorum traditio Diacono, ad ostendendum novum illius officium, legendi nempe Evangelium, quod antea a Sacerdote legebatur.

Quaenam sunt Diaconi officia?

1. Episcopo seu Presbytero sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti praesto esse. 2. Episcopum sequi in functionibus ecclesiasticis, eique concionanti interesse. 3. Praeesse adstantium precibus, ut moneat quando genua flectere debeant, quando ab oratione discedere, vel in laudibus perseverare, vel processionem inchoare. 4. Evangelium in Missa legere. 5. Baptizare solemniter, quae baptizandi facultas per Gelasium Papam ita contracta est, ut si nulla adsit necessitas, nec Presbyteri desint, Diaconis solemni ritu baptizare non liceat. 6. Si pariter necessitas postulet, Evangelium explanare per modum catecheseos. Dum autem catechizat ex officio, stolam habeat ab humero transverse pendentem. Ab Episcopo autem, minime vero a Parocho, specialis potestas dari potest cum concionem formalem habendi, tum etiam pergamum ad hoc ascendendi. 7. In casu necessitatis Eucharistiam deferre ac dispensare. Ideo Diaconi erit, si nullus adest Sacerdos,

Eucharistiam infirmo tantum deferre qui periculose aegrotet, etiamsi nullum praevium adsensum a Parocho, si absit, obtinuerit; tunc enim urget praeceptum divinum. Et si sacrum Viaticum Presbytero aegrotanti praebendum sit a Diacono, Presbyter ipse, si potest, propria manu Eucharistiam sibi delatam sumat.

Quinam ad Diaconatum promovendi?

Qui in Subdiaconatu probati, praeter legitimae aetatis fidem, quae vigesimum tertium annum attigisse testetur, juxta Apostolicum praescriptum, *boni sint testimonii viri, pleni Spiritu Sancto et sapientia;* quique, ex Apostolo Paulo, *pudici sint, non bilingues, non multo vino dediti, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.*

Quaenam vestis Diaconi propria?

Praeter vestimentum Subdiacono commune, stola transversa Diacono traditur, ut a stola Sacerdotis propria differre cognoscatur.

CAPUT XV.

DE ORDINE PRESBYTERATUS

Quid est Presbyteratus?

Est Ordo sacer, quo traditur potestas circa Corpus Christi tum naturale, tum mysticum, nempe circa fideles.

Est ne Sacramentum?

Fidei dogma est, Ordinem verum esse novae Legis Sacramentum. Id autem negari de Presbyteratu nequit, ad quem, tamquam ad praecipuum Ordinem, ceteri hactenus commemorati referuntur.

Quomodo confertur?

Episcopus cum Sacerdotem aliquem instituit, primum manus ei una cum omnibus Sacerdotibus qui adsunt, imponit, et quidem duplici vice; prima fit absque cantu

et oratione; in secunda Antistes et Sacerdotes dexteras manus super illum tenent, et Episcopus stans cum mitra orationem antiquissimam recitat, quae nobis exhibetur a Pontificali Romano. Deinde stolam humeris aptans eam ante pectus in Crucis formam componit. Postea manus sacro oleo inungit: tum vero calicem cum vino, et patenam cum hostia tradit dicens: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis.* Ad extremum manibus iterum ejus capiti impositis, *Accipe*, inquit, *Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Hinc casulam ordinati explicat, et junctis illius manibus inter suas manus, sibi et successoribus reverentiae et obedientiae promissionem postulat, quam spondet ordinatus.

Quae materia, quae forma est Presbyteratus?

Divisae circa eam sunt clarissimorum Theologorum sententiae. Sunt qui materiam Presbyteratus in traditione calicis cum vino et aqua, ac patenae cum pane superimposito constituunt: formam, quae in verbis quae in ista traditione proferuntur. Alii manuum impositionem adnectunt, ut integra materia habeatur. Est tertia opinio, qua ita divulsae eae duae partiales materiae ponuntur, ut prima det tantum consecrandae offerendaeque Eucharistiae potestatem, altera det solam auctoritatem Confessiones audiendi absolvendique a peccatis. Adest et quarta eorum sententia, qui manuum impositioni sacram unctionem in materiae unitatem conjungunt. Tandem innumeri, opponentes prioribus septem vel novem saeculis per unicam manuum impositionem peractam fuisse Ordinationem, quemadmodum etiam nunc fit apud Graecos, adserunt solam manuum impositionem sacrae Scripturae ac Patrum dictis, et omnibus antiquis Ritualibus esse conformio-

rem; cumque tres occurrant manus impositiones, excludunt primam in qua nihil dicit Episcopus, et desueta est apud Graecos, respuunt et tertiam qua Orientales item non utuntur, neque ad IX usque saeculum usi sunt Latini; ideoque secundam praedicant efficere Ordinationis materiam.

In tanta opinionum discrepantia quid dicendum?

Nihil eorum praetermittendum est quae fieri in Ordinatione praescribuntur; quare si quid omissum esse contingat, quod ad essentiam vel materiae, vel formae, juxta varias Theologorum opiniones, desideretur, illud caute ab Episcopo suppleri solet.

Quaenam dispositiones in promovendis ad Presbyteratum requiruntur?

Respondetur cum Tridentina Synodo: Tales »qui non modo in Diaconatu. . . . ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta idonei comprobentur, atque ita pietate et castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint exspectari«. Oportet autem ex ipso Concilio Tridentino Presbyterum inceptum agere aetatis annum vigesimum quintum.

Quaenam Presbyteri officia?

Quinque ex Pontificali Romano memorantur. *Offerre*, quod ad potestatem circa Corpus Christi naturale spectat. *Benedicere*, quod est munus Sacerdotis proprium, et fuit in quolibet legis statu. Ut vero Sacerdotes in lege gratiae hoc officium tanti aestiment, quanti par est, eorum manus sacro oleo Antistes ungit, ut quaecumque benedixerint, benedicantur. In hoc tamen servandi Ecclesiarum ritus et mores; quasdam enim benedictiones, nisi delegata auctoritate, Presbyteri non largiuntur. *Praeesse*; hinc Presbyteris in publicis conventibus honoratior post Episcopum locus tribuendus; ipsi enim

cooperatores accedunt Episcopo, et cum ipso et sub ipso Ecclesiam regunt eique praesunt. *Praedicare;* cum enim in populi institutione Episcopo socii sint et cooperatores, ipsorum est etiam verbum Dei praedicare. Quare Tridentinum Concilium diligenti examine praecedente experimentum faciendum esse decernit, an idonei sint ad populum docendum qui in ordinem Presbyteratus referuntur. *Baptizare,* et hoc jure ordinario, quia soli Episcopi et Presbyteri in familia Dei praesunt. Tamen hodiedum, cum vix aliquis promoveatur ad titulum Ecclesiae cui animarum cura sit adjuncta, et citra casum necessitatis, nihil aliud agere potest Sacerdos, nisi celebrare; potestate enim caret jurisdictionis ad reliqua Presbyteri officia exercenda.

Quid tamen simplex Presbyter in casu necessitatis agere potest?

Poenitentis in articulo mortis constituti, ni adfuerit Confessarius aliquis adprobatus, Confessionem excipere potest, et a censura quacumque, sicuti a peccatis omnibus etiam reservatis, illum absolvere; Ecclesia enim tali in casu, quia de infirmi aeterna salute agitur, jurisdictionis potestatem illi generaliter tribuit ad valide et licite infirmum morti proximum absolvendum. Advertat porro Sacerdos oportet, quod si excommunicationis vinculo forte innodatus exsistat infirmus, absolvi nullo modo potest a peccatis, quin prius per absolutionem ab excommunicatione ad Ecclesiae communionem restituatur.

Observandum, quod si adprobatus Sacerdos superveniret interea dum morientis Confessionem non adprobatus audit, Sacramentum perficere est ejus qui coepit. Id enim et poenitentis incommoda ac pericula, et judicialis actionis ratio postulare videntur.

Absoluti vero a censuris reservatis ob mortis periculum, si convalescant, sistere tenentur ei cui censurae sunt

reservatae, non ut rursus absolvantur, sed mandatum ipsius humiliter recepturi et satisfacturi prout justitia suadebit. Secus in eamdem censuram ipso jure relabuntur.

Potest ne aliud aliquid agere?

Potest particulas ab ipso in Missa consecratas adstantibus ac petentibus, non uti Sacramentum, sed per modum Sacrificii distribuere. Hoc quidem per plura saecula in more positum erat apud fideles, ut interessent sacrificio Missae et communicarent; quae consuetudo, ut denuo vigeat, summopere Tridentinum optat: *Optaret sacrosanta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo eis sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret*. Non licet vero Sacerdoti sacram Eucharistiam e custodia extractam distribuere sine Parochi consensu, neque post Missam, nisi rationabilis causa subsit.

CAPUT XVI.

DE MISSAE SACRIFICIO

Quid est Missa?

Corporis ac Sanguinis Christi consecratio, oblatio et assumptio ritu, caeremoniis et orationibus ab Ecclesia praescriptis per idoneum ministrum peragenda. In tres partes dividi potest. A principio ad Offertorium usque, quae Catechumenorum Missa vocatur, quia ipsis tali Missae parti interesse permittitur. Ab Offertorio ad Communionem, quae dicitur Missa Fidelium. Et a Communione ad finem usque, quae pro gratiarum actione celebratur.

Missa vocari ne potest veri nominis Sacrificium?

Sacrificium sic definiri potest: *Oblatio externa facta soli*

Deo, qua ad agnitionem nostrae subjectionis et professionem divinae majestatis, a legitimo ministro res aliqua sensibilis et permanens ritu mystico consecratur et transmutatur. **Missa autem appellari potest veri nominis Sacrificium. In ipsa enim omnia occurrunt quae verum Sacrificium constituunt. Sic *altare*, certum est** Sacrificii argumentum. Adest *minister*, ipse summus Sacerdos Christus qui se ipsum visibili modo Sacerdotum ministerio Deo Patri offert. Adest *res externa sensibilis* quae offertur, videlicet species panis et vini sub quibus Christus realiter continetur. Adest *ritus mysticus*, quo res sensibilis consecratur et transmutatur: nam per verba consecrationis, panis mutatur in Corpus et vinum in Sanguinem; per illud autem quod utrumque seorsim consecretur et species separatae maneant, mors Christi cruenta figuratur, qui in Cruce Sanguinem suum fudit in remissionem peccatorum. Hoc Sacrificium vero *soli Deo* offerri Ecclesia semper docuit, neque potest hac de re superesse dubium.

In quanam Missae actione reposita est Sacrificii essentia? Theologi in varias abeunt sententias, quando quaeritur an sola consecratio ad Sacrificium sufficiat, an etiam consumptio necessaria sit. Et quidem consecrationem, quae ipsa est realis oblatio, ad essentiam Sacrificii pertinere extra omnem dubitationem positum est. Bellarminus, Melchior Canus, Tournelius aliique plures in ea sunt opinione, ut putent etiam consumptionem ad naturam Sacrificii pertinere. Ast Patres solius consecrationis meminerunt, in sola consecratione Sacerdos proprie personam Christi sustinet et Christi nomine loquitur, in ipsa habetur victimae mactatio in mystica separatione Corporis a Sanguine, nec satis constat an Christus ipse in ultima Coena Eucharistiam sumpserit, et tamen Sacrificium integrum perfecit. Verum Hostiae consumptio si non ad essentiam Sacrificii, certe

ad ejus integritatem et perfectionem pertinet. Hinc Ecclesia praecipit, ut si Sacerdos repentino morbo correptus consecratum Panem aut Sanguinem sumere non potuerit, alius Sacerdos etiam non jejunus ejus vices suppleat, et species consecratas consumet.

Ad validam consecrationem quaenam requiruntur?

Materia seu panis ex frumento, et vinum ex uva vitis; *forma* seu verba quibus ex Christi institutione panis et vinum consecrantur; et *intentio* vera consecrandi, seu faciendi quod facit Ecclesia. Ita legimus Eucharistiam a Christo fuisse institutam: *Accepit Jesus panem et benedixit... Et accipiens calicem gratias egit* etc. Manifestum est *calicis* nomine illud intelligi quod in calice continebatur; vinum autem in calice fuisse haec probant quae statim sequuntur: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Ad Sacramenti autem substantiam nihil refert an in pane fermentato, aut in azymo consecratio fiat. Uterque panis veram habet panis substantiam, et quamvis Christus azymum adhibuerit, legem tamen necessitatis non imposuit. Hinc Ecclesia Latina Graecorum consuetudinem qui in fermentato consecrant, numquam improbavit, et in Synodo Florentina qui tam Graeci, quam Latini subscripserunt, statutum fuit, ut sua utrique Ecclesiae consuetudo maneret; unde neque Latini, neque Graeci possunt indifferenter aut fermentatum, aut azymum adhibere, sed unusquisque, ne peccet, morem debet sequi suae Ecclesiae. Ab Ecclesia autem praescriptum est Sacerdotibus, ut paullulum aquae vino immisceant in Eucharistia, sub comminatione mortalis peccati.

Quid requiritur ut recte Missa celebretur?

Requiritur 1. *Status gratiae*. Hinc seipsum probet Sacerdos et Confessione sacramentali conscientiae sordes emundet, quem si lethalis culpae conscium animus reddat, numquam adeo scelestus et improbus sit, ut

sibi quamvis videatur contritus, sacramentali Poenitentia non praemissa, divino hoc munere fungi et Christum prodere horrende praesumat. Deficiente vero Confessarii copia, si gravissima urgeat celebrandi necessitas, contritionis actu praemisso cum onere confitendi quamprimum, divinam indignationem conetur aufugere. 2. *Jejunium naturale*. 3. *Praehabita recitatio saltem Matutini cum Laudibus*; nam juxta saniores Theologos peccaret Sacerdos, et quidem graviter, si non aliquando, neque ex necessitate, vel rationabili de causa, sed aut semper, aut frequenter illam recitationem omitteret. 4. *Ecclesia* et *altare* ab Episcopo adprobatum. 5. *Vestis talaris:* vetant enim Constitutiones synodales Sacerdotibus sine hac veste rem sacram facere, officiis aut sacris functionibus interesse. 6. *Stola e collo pendens et casula*, nec non indumenta reliqua ac sacra vasa. 7. *Hora* denique conveniens, ab aurora scilicet ad meridiem usque, exceptis casibus a jure permissis.

Quid perpendere debent Sacerdotes dum ad rem sacram faciendam accedunt?

Animum defigant in tanti mysterii meditatione, manus abluant et maculas tergant, hostiam super patenam a micis propriis digitis expoliendam accommodent, Missam praevideant, et singulas ejus partes disponant, unaque sit eorum cura et vehemens sollicitudo animum colligere, seque adeo in celebrando componere, ut ad sanctitatem adstantes fideles et excitentur et moveantur. Dum autem rem sacram peragunt Sacerdotes, sedulo animadvertant omnia esse *alte*, *clare*, *devote* pronuntianda, reverenter et graviter praescriptas caeremonias adimpleant, ac devote ad ea quae legunt, attendant. Hinc abominabile illud praecipitis celebrationis vitium amoveatur, quod in dedecus cedit et in contemptum rei sacrae, probisque viris admirationis

et scandali est argumentum. Perpendant non ita brevi tempore, ut multi existimant, Sacrum posse expediri, sed ex unanimi scriptorum sententia, tertiam horae partem debere saltem pertingere, neque horae dimidium excedere.

(*Adnotanda*) Urceoli ex pellucido vitro sint, argentei numquam, vinum sit album, merum et defaecatum, pallae et purificatoria mundissima, calices argentei, interius auro perfecte illiti, argenteae quoque patenae, ac desuper deauratae, omniaque ad usum Sacrificii exquisitam munditiem praeseferant. Observandum, praescriptum fuisse ut corporalia, pallae ac purificatoria linea omnino sint, vel ex cannabe, interdicto eorum usu quae sunt ex gossipio; pariter amictus, tobaleae et mappulae sint ex lino vel cannabe, si hae supellectiles sint renovandae.

Quot modis spectari potest Missae sacrificium?

Quatuor modis spectatur, quatenus nempe est latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium. *Latreuticum*, quod Deo uti supremo rerum omnium Domino exhibetur. *Eucharisticum*, in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo collatis. *Impetratorium*, ad obtinenda a Deo spiritualia et convenientia temporalia bona. *Propitiatorium*, per quod Deus nobis propitius redditur, ut gratiam ad veram poenitentiam, et ad poenam peccatis debitam remittendam consequamur.

Quotuplex fructus ex hoc Sacrificio provenit?

Triplex: *generalis*, qui Christi fideles omnes afficit; *specialis*, quo Sacerdos ipse solus fruitur; *medius* denique, qui illos juvat pro quibus a Sacerdote specialiter exhibetur.

Quanti valet Sacrificium Missae?

Infinitus hujus Sacrificii valor est, si rem oblatam et Christum praecipuum offerentem spectemus; at non propterea infinitum effectum, ita ejus institutore Christo

nolente, producit, alioquin supervacue iteraretur. Ejus itaque virtus in illos pro quibus offertur, ea mensura promanat, cujus per fidem et caritatem capaces sunt.

Pro quibus sacrificium Missae offerri potest?

Pro illis omnibus qui Ecclesiam militantem constituunt, nempe pro omnibus fidelibus in hac vita degentibus, et etiam pro haereticis et excommunicatis, ut ad Deum convertantur; pro illis qui in Purgatorio cruciantur, ut purgati ad coelos advolent; tandem in honorem Sanctorum, ut Deo gratias agamus de illorum victoriis, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum ex eorum memoriae renovatione adhortemur.

Licite ne potest Sacerdos pro Missa eleemosynam accipere?

Utique potest, non tamquam Missae pretium, sed tamquam stipendium, ex universali Ecclesiae consuetudine, pro sui sustentatione. In hoc tamen consueta Dioecesis taxa ita servanda, ut largiorem eleemosynam sponte quidem offerre possit quicumque Sacrificii celebrationem applicandam propria dispositione committit, numquam tamen Sacerdos celebraturus exigere aut postulare. Insuper plura stipendia pro una Missa recipere vetitum penitus est; ac si quae alteri Missa celebranda demandetur, integra quam Sacerdos recipit, ei tradenda est eleemosyna. Manuales Missas celebrandas tali numero Sacerdotes accipiant, ut brevi tempore, mensis nempe curriculo, satisfacere possint, dummodo offerentes ultra idem tempus satisfactionem differre non indulgeant. Pariter prohibitum est absolute pro incerta persona eleemosynam oblatura praevenire celebrationem; et qui ex testamento, vel qualibet alia de causa celebrare tenentur in certa Ecclesia, vel altari designato, seu diebus statutis, sciant se minime obligationi susceptae satisfacturos, si testatoris, aut offerentis voluntati penitus non obtemperaverint.

Quidnam oneris Presbytero ordinato Episcopus imponit?

Ut post primam suam Missam tres alias celebret, unam de Spiritu Sancto, alteram de B. V. Maria, tertiam pro fidelibus defunctis, nec non ut pro ipso Episcopo oret. Hae tres Missae applicandae sunt a Sacerdote juxta Episcopi mandatum, non solum ob debitam Episcopi recognitionem spiritualem, verum etiam quasi in salutarem poenitentiam, eo ferme modo quo Diaconis et Subdiaconis Officii Nocturnum, reliquis vero Clericis ordinatis septem Psalmi Poenitentiales recitandi ab Episcopo imponuntur. Missae vero celebrandae erunt primis illis diebus quibus per Calendarium licebit, designatis nempe ritu simplici vel semiduplici.

Ad quid ulterius tenetur Sacerdos?

Praeter obligationes antea adsumptas, tenetur Dominicis saltêm atque solemnibus diebus celebrare; Ecclesiae operam suam navare in iis omnibus in quibus ipsa indiget, et ipse potest, ut est, potissimum diebus festis, sacris functionibus interesse ac deservire, et pueros edocere christianam doctrinam: ad hoc enim Episcopus Prebyteratus ordinem illi contulit; vitae sanctitatem profiteri, non solum respectu tanti divini mysterii, verum etiam ad debitum exemplum fidelibus praebendum; Episcopo obedientiam quam solemniter in Ordinatione spopondit, ac reverentiam fideliter praestare in iis quae ad Ecclesiae servitutem, nec non ad animarum salutem spectant; Missalis Rubricas, ac defectus in Missae celebratione occurrentes scire; tandem divinarum ecclesiasticarumque rerum scientiam totis viribus sibi comparare.

Concordiae die 3 Februarii 1845.
Admittitur ad imprimendum.
✠ CAROLUS Episcopus Concordiensis.

INDEX

ENCHIRIDII ORDINANDORUM

Cap. I. *De divina vocatione ad statum clericalem* pag. 5
II. *De Tonsura clericali* . . . . » 7
III. *De sacris Ordinationibus* . . . . . . » 9
IV. *De sacrarum Ordinationum impedimentis* » 13
V. *De Ordine Ostiariatus* . . . . » 20
VI. *De Ordine Lectoratus* . . . . » 22
VII. *De Ordine Exorcistatus* . . . . . . » 23
VIII. *De Ordine Acolythatus* . . . . . . » 25
IX. *De vita et honestate Clericorum* . . . » 26
X. *De Ordine Subdiaconatus* . . . . . . » 37
XI. *De castitate* . . . . » 39
XII. *De Officio divino* . . . . » 41
XIII. *De titulo Ordinationis majoribus Clericis necessario* . . . . » 45
XIV. *De Ordine Diaconatus* . . . . . . » 47
XV. *De Ordine Presbyteratus* . . . . . » 49
XVI. *De Missae Sacrificio* . . . . » 53